

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

ARGUMENTIS

COMPARATIS;

Quam

Christo Mediatore benigne annuente,

SUB TRÆSIDIO

CLARISSIMI DOCTISSIMIQUE
VIRI, DN. M. HENRICI GUTBERLETHI,
Professoris in incluta Nassovicorum-Sigenensi Schola
ordinarii, publicè philosophiæ sanioris studiosis
exhibet, & κατὰ δυνάμιν defen-
dere conabitur

JOHAN-PHILIPPUS DILPHIUS
Netphen. Nassovicus.

Horâ locoq; consuetis.



HERBORNÆ NASSOVIORUM

Ex officina typographica Christophori Corvini.

MDCVIII.

REVERENDIS, DO-
CTISSIMIS ORNATISSI-
MISQUE VIRIS,

DN. LEONHARDO LAMPPIO, apud Netphenfes ver-
bi divini ministro fidelissimo, avo suo dilectissimo:
DN. JOHANNI ERNHOLDO, Classis primæ in Illu-
stri Sigenensi Pædagogéo Præceptori dignissimo:
DN. CHRISTIANO BAUMIO, Classis secundæ in eo-
dem Sigenensi Pædagogéo Præceptori fidelissimo:
DN. CONRADO DILPHIO in Tringenstein Præto-
ri, patruo suo suavissimo:

NEC-NO

MORUM PROBITATE AC ERU-
DITIONE ORNATISSIMO
JUVENI,

DN. GEORGIO DÜGELIO Bensheimensi Palatino,
familiari suo medullitus dilecto:

*Hasce studiorum suorum primitias
in grati animi σημείον & μνη-
μόσυλον offert ac inscribit*

RESPONDENS.



DISPUTATIO PHILOSOPHICA,

De

ARGUMENTIS

COMPARATIS.

THESIS I.



Uum argumentorum comparatorum natura & affectio ad thema demonstrandum aut declarandum sit insignis & non parùm utilis: operæ-pretium nos facturos existimavimus, si positiones aliquas de iis ad disputandum proponeremus.

II.

Ne autem legitimæ methodi leges in primo disputationis nostræ limine violare videamur, à definitione initium faciemus. Est enim definitio, præceptum omnium generalissimum, quòd totius rei, quæ tractanda suscipitur, naturam breviter explicat & ob oculos ponit, ut quæ sequuntur rectius intelligantur.

III.

Comparata itaq; definimus argumenta prima, quæ inter se in ter-
tio aliquo conferuntur; Græcè ab Aristotele *lib. 1. topicor. cap. 13.* dicuntur
σύμμετρα, quasi dicas, conferenda; quòd res inter se comparandæ hîc
conferantur.

IV.

Genus hîc ponimus argumentum primum, quod est suæ originis.
Nam comparata hæc arguendi affectio aliunde non manat. Consensio
quidem occurrit, ut & disensio, nec tamen ex consentaneis & dissenta-
neis simpliciter diseritur, cum non per se, absolutè aut simpliciter hîc
considerentur, sed comparatè. Non igitur est consensio & disensio or-
ta, sed prima, eaque comparata, quod eleganter ostendit analysis.

V.

Forma comparatorum est, inter se comparari. In iis enim respici-

A ij

tur tertium quoddam, quod est veluti basis & fulcrum, in quo res comparatæ conveniunt, vel non conveniunt. Sic Herodes & vulpes comparantur in uno tertio, quod eis est commune, videlicet astutiâ. Christus & mercenarius comparantur in tertio non communi, videlicet in desertione suorum, tempore periculi, in quâ non conveniunt.

V I.

Duplex itaque hîc rerum sese nobis offert consideratio. Utraque quidem prima est & per se, hoc est, suæ originis, sed una simplex, altera comparata. Quod exemplo perspicietur clariùs, ut: Si aurum & argentum comparo in adjuncto pretio (utriusq; adjuncto) quod est majus in auro, minus in argento. Primum considero pretium, quatenus est utriusq; adjunctum, & tunc aurum est subjectum pretii, argentum itidem: quæ simplicia sunt argumenta. Si autem confero hæc duo subjecta in suo adjuncto pretio, & pretii quantitatem in utroque considero, non simplex & absoluta, sed comparativa erit ista consideratio, quæ certè differt ab illa.

V I I.

Omnium comparatorum hæc inter alias est communis affectio, quòd tamen ipsa comparationis naturâ æquè nota sint: alterum tamen altero alicui notius & illustrius esse potest. ut: Si compares inter se amorem & ignem in tertio aliquo, videlicet calore, sunt æquè nota. Attamen ignis calor extra comparationis actum alicui potest esse notior.

V I I I.

Hæc autem notitia non oritur à naturâ rerum quæ comparantur, sed à naturâ ac vi comparationis seu tertii illius, in quo res istæ comparantur. Comparatio igitur res illustrat ac notas æquè facit.

I X.

Præterea præ reliquis argumentis omnibus comparata & hoc habent peculiare, quòd etiam ficta arguunt fidemq; faciunt. Ficta causa non potest arguere verum effectum, nec fictum effectum veram causam; fictum subjectum non potest arguere verum adjunctum, nec fictum adjunctum verum subjectum; fictum dissentaneum non nisi fictum dissentaneum arguit; at fictum comparatum potest arguere rem veram, quod fieri videmus in apologis & parabolis.

X.

Deniq; comparata vel brevius indicantur notis, vel partibus plenius explicantur.

XI.

Hinc comparatio est aut contracta, aut explicata.

XII.

Contracta est, quæ unicâ tantum notâ indicatur, ut: Homo est instar bullæ. Hæc dicitur comparatio contracta, quia res comparatæ in ea non proponuntur distinctis terminis.

XIII.

Omnis tamen contracta comparatio explicari, hoc est, partibus suis distingui potest. ut: Vita hominis est instar fumi. Explicatio hujus sic habet: Sicut fumus citò transit, sic & vita hominis. Item: Creusa par est levibus ventis, explicatione si quis desideret, hanc habeat: Creusa vel umbra Creusæ, tam levis est, quam venti.

XIII.

Hæc contracta comparatio frequentius occurrit explicatâ. Unde etiam ait Ramus: sæpè brevius, nonnunquam plenius, &c. Et in usu sæpè accedit, ut comparatio antè contracta proponatur, deinde verò terminis suis distinguatur & explicetur. Deinde contracta comparatio hoc quoque præ explicatâ habet singulare, quòd semper quantitas & qualitas in ea notis indicantur, nisi tropica sit locutio; in explicatâ verò non item. Explicata enim nunc notis indicatur, nunc sine notis ratione colligitur, ut in illo: O formose puer, &c. Virg. Eclogâ 2.

XV.

Explicata comparatio est, quæ non unâ tantum indicatur notulâ, sed suis est distincta partibus, ut: quemadmodum ii, qui in Solem acrius suos defigunt oculos, visum amittunt: sic mentis omne lumen, qui id nimis intendunt in arcana Dei mysteria, perdunt.

XVI.

Hæc explicata comparatio partes habet duas, *πρότασις* propositionem, & *ἀποδοσις* redditionem, quæ in dissimilibus dicitur *ἀνταπόδοσις*.

XVII.

Protasis seu propositio est, quæ habet id quod ad arguendum assumitur.

XVIII.

Apodosis seu redditio est, quæ continet rem declarandam & illu-

strandam, seu quæ habet in se, id quod arguitur, & de quo habetur quæ-
sio.

XXIX.

Et hæ sunt affectiones, quæ omnibus competunt comparatis: se-
quitur nunc, ut accedamus ad distributionem generis in species. Com-
paratio est vel in quantitate, vel in qualitate.

XX.

Hæc distributio omnem comparationis rationem proponit, si-
quidem quælibet res inter se collatæ, comparantur vel in quantitate
vel in qualitate.

XXI.

Comparata in quantitate sunt, cum res comparatæ dicuntur
quantæ, h. e. æquales vel inæquales, pares vel impares.

XXII.

Intelligatur autem in hoc loco non solum quantitas mathemati-
ca, quæ vel ad numerum, vel ad magnitudinem restringitur, verum eti-
am quæ præter eam in rebus aliis universis, veris & fictis versatur. Sunt
autem comparata in quantitate duplicia; paria vel imparia.

XXIII.

Paria sunt, quorum una & eadem est quantitas, h. e. quorum par
est ratio. Unde intelligimus, eandem eorum esse æqualemque arguendi
vim, ac agnoscere ea æqualem proportionem, quod P. Ramus innuere
videtur, ubi ait: Argumentum paris est, cum par explicatur à pari, hoc
est, quando hujus rei quantitas explicatur à pari rei alterius quantitate.
Græcè ab Arist. 2. *rhétor. cap. 23.* dicuntur *ὁμοίως καὶ ὁμοίως*, h. e. æqualiter
inexistentia, seu quæ æqualiter insunt.

XXIV.

Huc referenda sunt consuetudines contrariis quidem orta, sed pa-
rium collatione tractata, in quibus celebratur axioma: Contraria sunt
contrariorum consequentia. Quod tamen axioma non valet, nisi pa-
rium oppositio instituat secundum differentias & proprias rerum
formas propriæ accidentia. Inanis igitur hæc est ratiocinatio: Mala
opera damnant; ergo bona justificant, quia tanquam paria ponuntur
quæ paria non sunt. Non enim est eadem quantitas bonitatis in ope-
ribus nostris, quatenus scilicet nostra sunt; quæ est malitiæ & impurita-
tis in iisdem: Nostra enim opera, quatenus nostra sunt, sunt perfectè
mala;

mala: quatenus autem bona sunt, non sunt simpliciter nostra, & magnâ imperfectione laborant. Non igitur esse potest proportio bonorum nostrorum operum ad salutem; imò nostra opera ex se verè bona dici non possunt, sicut mala verè sunt mala. Quòd si oppositio fit secundum genus vel commune accidens, regula fallit: ut, Homo est animal. Ergo bestia non est animal. Virginitas est bona. Ergo conjugium est malum.

XXV.

Notæ contractorum parium sunt: par, æquale, æquare; Explicatorum verò notæ sunt: perinde, ac; tantum, quantum; tantò, quantum; cum, tum; tam, quàm; negatio majoris & minoris; idem, quod; tot, quot; &c.

XXVI.

Exposito argumento parium, ad alteram comparatorum speciem, quæ paribus opponi solet, imparia videlicet argumenta, progrediendum est.

XXVII.

Imparium autem jam facilis est definitio. Ut enim paria sunt, quorum est una quantitas: sic imparia esse dicuntur, quorum quantitas non est una, sed alterum eo in quo conferuntur, superat; alterum verò superatur; seu unum non est tantum, quantum est alterum. Et hinc forma imparium consistere dicitur in inæqualitate rerum comparatarum. Sic plus luminis est in Sole, quàm in Luna.

XXVIII.

Impar est majus aut minus. Sic impar rectè distribuitur, si quidem in imparibus alterum semper excedit, alterum verò exceditur, ut ex definitione utriusque videre est.

XXIX.

Majus est impar, cujus quantitas excedit, seu cujus quantitas superat quantitatem istius rei, quam arguit.

XXX.

Argumentum ex sententia P. Rami à majore ductum esse intelligimus, quando minus explicatur à majori, hoc est, quando majus adhibetur ad arguendum minus: ut, Imperator non potest expugnare illam arcem. Ergo & princeps non potest.

Pro-

XXXI.

Propriæ notæ argumenti majoris, quibus à minori dignoscitur, sunt: non solum, sed etiam; plus, quàm; malo hoc, quàm illud; item, comparatio grammatica. Sed & hujus argumenti sine notis adhibiti peculiaris est usus. Hinc enim sumitur gradatio illa logica, climaci rhetorico interdum conjuncta, interdum non. ut: Ter. in Eunuch. Act. 3. scenâ 1. Magnas verò agere gratias Thais mihi? Gn. Ingentes. Th. Ain' tu? lata est? Gn. non tam ipso quidem dono, quàm abs te datum esse: id verò seriò triumphat.

XXXII.

Majori argumento succedit minus. Ut autem majus definitum fuit, cujus quantitas excedit: ita minus est, cujus quantitas exceditur, scilicet à majori.

XXXIII.

Argumentum secundùm P. Ramum à minore esse intelligimus, quando minus adhibetur ad arguendum majus, & tunc majus non arguit, ut suprà, sed arguitur. ut: Is non vult solvere pecuniam pro conservanda religione vera. Ergo pro eâ multò minus mortem subibit. Atque hoc modo P. Ramus solet argumentari à majore ad minus, & à minore ad majus. Sed aliter peripatetici, ut mox dicetur.

XXXIII.

Notæ minorum sunt: non solum, sed ne; potius hoc, quàm illud; cum, tum; parium negatio; item grammatica quædam comparatio.

XXXV.

Est & peculiaris quædam minorum tractatio, ubi notæ conspiciuntur nullæ, qualis est hæc: 1. Tim. 3. Si quis propriæ domui præesse nequit, quomodo Ecclesiam Dei curabit?

XXXVI.

Hic non possum non movere quæstiones duas. Prima est: An regula hæc sit $\chi\tau\iota$ $\omega\delta\alpha\upsilon\tau\omicron\varsigma$ vera: A majore ad minus argumentum affirmativè non valet. Resp. Si de actione aliqua sermo est, est vera; Si verò de passione, non est vera. Sic affirmativè non valet: Imperator vicit Turcam. Ergo & Comes potest Turcam vincere. Nam non continuò quod majori competit secundùm perfectionem & operationem, id etiam competit minori. Affirmativè autem procedit argumentatio à majori, hoc

hoc modo: Mundus afflixit Christum: Ergo etiam discipulos ejus affliget. Si enim passio contingit homini præstantiori, etiam inferiori contingere potest.

XXXVII.

Altera est: An hæc regula sit veritatis perpetuæ: A minore ad majus argumentum negativè non valet? Resp. Esse perpetuæ veritatis, si intelligitur de *δυνάμει* seu facultate faciendi aliquid, quæ minori inesse negatur, ut: Ille comes non potest expugnare hanc urbem. Ergo & imperator non potest. vel: Ille comes potest alere tantum exercitum; Ergo imperator non potest.

XXXVIII.

Interim sine ulla exceptione aut limitatione semper & perpetuò vera est hæc regula: Cui non competit minus, ei nec majus competit, ut: Christus non oravit pro reprobis. Multò minùs igitur pro illis est mortuus.

XXXIX.

Est porrò etiam notanda hîc diversitas inter logicos Peripateticos & Rameos, in modo argumentandi ex imparibus. Ramei enim, ut ex præcedentibus intelleximus, simpliciter considerant rem ipsam, quæ est vel præstantior sive major, vel ignobilior sive minor. Peripatetici verò non simpliciter rei per se præstantiam spectant, sed rei in re existentiam, nimirum utrum prædicatum faciliùs subjecto inesse credatur; & quod faciliùs subjecto inesse creditur, vocant *μᾶλλον*, h. e. magis; quod verò difficilius inesse creditur, vocant *ἥτιον* minùs, subintellige inexistens.

XL.

Exempli gratiâ: Ille pro veritate Evangelii non vult pecuniæ jacturam facere. Ergo multò minus faciet jacturam vitæ. P. Ramus dicit esse à minore ad majus, quia jactura pecuniæ est minus quid quàm jactura vitæ. Sed Peripatetici dicunt esse *ἀπὸ τοῦ μᾶλλον πρὸς τὸ ἥτιον*, hoc est, à magis probabili ad minùs probabile; quia probabilius est, velle aliquem pecuniæ jacturam facere quàm vitæ. Si Christum ipsum persecutus est mundus, quantò magis infestabit discipulos ejus? Ramo est à majori ad minus; Peripateticis verò *ἀπὸ ἥτιον πρὸς τὸ μᾶλλον*.

XLI.

In ejusmodi argumentationibus nobis placet sententia Peripateticorum. Certum enim est, comparisonem esse non simplicium ter-

minorum, sed probabilitatis, hoc est, integrarum propositionum, in quarum unâ prædicatum subiecto inesse judicatur probabilius, in altera verò minus probabile, unde canones: Si id non inest quod magis inesse videtur, nec inerit quod minus inesse videtur. Et; Si id inest quod minus inesse videtur, etiam inerit quod magis inesse videtur.

XLII.

Atque ita comparisonem adhuc in quantitate vidimus: sequitur comparatio in qualitate, quâ res comparatæ dicuntur quales, videlicet, similes aut dissimiles.

XLIII.

Similia definiuntur quorum eadem est qualitas. *ὁμοία λέγεται*, inquit Arist. lib. 4. metaph. cap. 15. *ὅν ἡ ποιοῦσθης μία*. Similitudo, inquit Ramus, proportio dicitur, ut similia proportionalia. Alii inter similitudinem & proportionem sic distinguunt, ut similitudo sit duntaxat inter duos terminos; proportio verò inter quatuor, quæ propterea *ἀναλογία* vocatur, aliis proportionalitas. Recentiores proportionem vocant similitudinem compositam, Keckerm. in System. log. lib. 1. cap. 4. de rerum identitate, & Timpl. lib. 3. metaph. cap. 6.

XLIII.

Contracta similitudo, ut & supra in genere monuimus thesi 12. semper uno concluditur verbo: ut, Somnus est imago mortis. In ejusmodi similibus, si nota omittitur, oritur metaphora, quæ est similitudo ad unum verbum contracta, ut cum mors piorum dicitur somnus, 1. Thess. 4. 13.

XLV.

Notæ propriæ similitudinis contractæ sunt; similis, effigies, more, instar, tanquam, sicuti, item, dissimilium negatio, imago, &c.

XLVI.

Explicatæ similitudinis notæ sunt: qualis, talis; ut, sic, non secus, ac; &c.

XLVII.

Explicata similitudo est vel disjuncta, vel conjuncta.

XLVIII.

Similitudo disjuncta est, quando termini quatuor re ipsâ distinguuntur: ut, Sicut canibus quibusdam naturâ insitum est sine causâ aut discrimine latrare: sic homini inquieto & turbido unum hoc studium,

dium, litigare. Item: Ut tela quædam in cælum emissa, non cò, quò videntur, eunt: sic malitiosorum calumniæ bonos non tangunt. Somnus ut est mortis, sic lectus imago sepulchri.

X L I X.

Similitudo continua est, quando est, ut terminus primus ad secundum, sic secundus ad tertium: ut, quemadmodum lex magistratui, ita magistratus populo præest. Hic pulchrè monet Dounamus, etiam in continuâ similitudine esse quatuor terminos, duos in propositione, & duos in redditione, sed ratione tantum, non reipsâ distinctos. Nam secundus terminus propositionis fit prior terminus redditionis, unde oritur *συνέχεια*, hoc est, continuïtas.

L.

In similitum autem applicatione hoc Ciceronis axioma teneamus: Non res tota toti rei similis sit necesse est, sed ejus, ad quod conferatur, similitudinem habeat, oportet. Secus enim si fiat, extra veritatis cancellos à similibus trahemur, unde etiam celebrata sunt illa: Simile non est idem; Omnis similitudo claudicat; Nullum simile currit quatuor pedibus. Exempli gratiâ, Spiritus sanctus per Davidem comparat Deum militi, Psalm. 78. *ψ. 65.* qui excusâ crapulâ à sopore profundissimo expergefactus omnes sibi obviam venientes audacissimo invadit animo. Simile certè pulcherrimum, præsentissimum Dei auxilium nobis exhibens. Sed ex hoc simili, si quis efficere conaretur, Deum approbare crapulam, temulentiam, ebrietatem, vel similem quandam turpitudinem, is tum in Deum, tum in homines peccaret. Ejusmodi igitur similia si forsan occurrant, ad prædictum sunt trutinanda axioma.

L L.

Recentiores Logici hodie distinguunt etiam inter similitudinem absolutam & parabolicam. Absolutam vocant convenientiam rerum in qualitate ejusdem generis. Sic fides dicitur similis auro in constantiâ, ut hujus in igne, sic illius in periculo. Ovum ovo est simile in colore & figura. Parabolicam verò vocant, cum rerum accidentia inter se habent quandam imaginem, & quidem illa etiam accidentia quæ sunt diversissimorum generum: ut, Quemadmodum ædium alienarum inquilinus modestius se gerit, & inde minùs gravatim exit; ita quicumque intelligit corpus suum esse domicilium ad breve tempus concessum, temperantiùs vivit, & libentiùs moritur. Huc referantur parabolæ Christi,

quæ passim apud Evangelistas recensentur tanquam allegoricæ locutiones. Vide Keckerm. lib. 1. System. log. pag. 264. Nobis verò hæc distinctio nihil videtur habere novi.

LII.

Est etiam similitudo quædam terminorum inter se, non solum propositionis & redditionis. Hinc similia dicuntur, vel ἀνὰ πάλιν, vel ἐναντία: ἀνὰ πάλιν, hoc est, inversè, cum invertitur ordo, vel propositionis & redditionis, vel ipsorum terminorum: ut, Quemadmodum gubernator ad tempestatem, sic sapiens ad res adversas: Ergo ἀνὰ πάλιν, ut sapiens ad res adversas: ita gubernator ad tempestatem, & ut tempestas ad gubernatorem navis: sic res adversæ ad sapientem. ἐναντία, hoc est, alternè, cum antecedens propositionis antecedenti redditionis, & consequens propositionis, consequenti redditionis comparatur: ut, Quemadmodum gubernator ad sapientem, sic tempestas ad res adversas.

LIII.

Similia sequuntur dissimilia, quæ sunt comparata in qualitate, quorum qualitas est diversa: ut, 1. Pet. 1. 24. Mortales omnes sunt herbarum similes, omnisque hominis gloria, est velut flos herbarum: aret herba, caditque flos: at verbum Domini manet in æternum.

LIIII.

Dissimilium notæ propriæ sunt: dispar, dissimile, differens, aliud, secus. Negatio similis: non similis, non sicut, non ut, non tales &c. Sed interdum nulla nota hæc quoque adjicitur: ut, post hyemem denuò ver recurrit, at post senectam nulla revertetur ætas.

LV.

P. Ramus aliquando conjunxit diversa & dissimilia. Communio- nem enim quandam præ se ferunt, sed discrimen animadvertendum est hoc modo:

LVI.

In diversis simplex & absoluta duorum spectatur dissenso. Sed in dissimilibus non item. Nam in iis consideratur rerum consideratio, & alterum ab altero distinguitur, ita ut dicatur in diversis, non hoc, sed illud; in dissimilibus verò, non tale hoc, quale illud.

LVII.

Atque hæc sunt quæ hac vice de comparatorum doctrinâ ad disputandum proponere voluimus: quæ ad uberiores declarationem requiruntur, actus disputationis suppeditabit.



ANAGRAMMA.

JOHANNES--PHILIPPUS DILVIUS.

Iphi, lippus haud es, id est, non vilis.

Qualis sis, Dilphi, repetam manifestius ut sit,
Sat licet ostendat nunc anagramma tibi.
Nam brevitatis cunctis fugienda obscura, fuganda
Sunt proluxa nimis; sunt odiosa mala.
Ergo quid faciam? medium mihi, crede, sequendum,
Obscura & quae sunt, expolienda mihi.
Iphim te dixi, cur, quæris? sume petiturum,
In promptu causa est: Iphis es alter enim.
Iphis erat juvenis facie vultuq; venusto,
Ingenuus nec-non; huncce, Philippe, refers.
Corporis ille habuit vires, te candida virtus
Ornat, quæ nullâ est interitura die.
Arte vales etenim, (certè est laudabile dictu)
Hacce venustas est, quam studiosus habet.
Omnia quæ mundi spatiosus prædicat orbis,
Ars superat, longè est anteferenda quibus.
Haud igitur lippus, non vilis es arte, Philippe,
Ars ditat lippum, nec finit esse levem.
Desine mirari me lippum dicere; namq;
Lippus pro vili sapius accipitur.
Ergo sic ito: Dominus tua cæpta secundet,
Ne lippus, vilis, dicier inde quæas.

Philippi Sengelii Dillenbergenfis.

EPIGRAMMA
AD PIE DOCTUM DOCTE-
QUE PIUM JUVENEM, DN. JOHANNEM-

PHILIPPUM DILVIUM

amicum suum singularem,

καὶ ἀνέγραμμεν

JOANNES-PHILIPPUS DILVIUS, ex quo

Nil pus, pes lividus in sophia.

EXPLICATIO.

Cimmerio Momus residebat forsan in antro
In Logicam miscens mille aconita sacram.

Utq; theses vidit Logicas has: palluit ira;

Nec mora: terribiles depluit ore minas.

Audiit hac Logice: procul & procul esto profane,

Clamavit. Pes nil lividus in sophia.

Nil pus nilq; mina cuiquam nocuere perito,

In mala quæ bona sunt vertere Mome nequis.

Dixit, & arreptis thesibus dedit oscula chartæ,

Sic & sic, referens, regia nostra viget.

Perge age, sic pergas quisquis sis: Invia nulla

Est via virtuti, vive diuq; vale.

Godofr. Pampo.

F I N I S.

JOHANNES

Iphi, lipp

Qualis sis,
Sat lic

Nam brevitatis

Sunt proli-

Ergo quid fac

Obscura &

Iphin te dixi,

In promptu

Iphis erat juv

Ingenius

Corporis ille

Ornat, qu

Arte vales et

Hacce ver

Omnia quae n

Ars super

Haud igitur

Ars ditat

Desine mirari

Lippus pro

Ergo sic ito:

Ne lippus



genfis.